



# The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **ABUGENSIS** IN NIGERIA NOVA PROVINCIA  
ECCLESIASTICA

**ABUGENSIS CONSTITUITUR**

Quo aptius consuleretur Evangelizationis operi in Nigeriae finibus, ubi in praesens exstant tres Provinciae Ecclesiasticae Lagosensis, Kadunaënsis et Onitshana, Venerabiles Fratres Vostri S.R.E. Cardinales atque Praesules Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositi, re mature perpensa auditisque votis quorum interest, praesertim Venerabilis Fratris Caroli Mariae Viganò, Archiviscopei titulo Ulpianensis atque in eadem Natione Apostolici Pronuntii, censuerunt nuper constituendam esse ibidem inter alias novam Provinciam Ecclesiasticam Abugensem nomine.

Nos quidem, Successores beati Petri, de totius Dominici gregis bono solliciti, talem sententiam ratam habemus ac sequentia decernimus.

A metropolitana Ecclesia Kadunaënsi distrahimus dioeceses Abugensem, Idahinam, Lokoianam et Makurdensem atque ex his efficimus Provinciam Ecclesiasticam Abugensem in qua sita est eodem nomine urbs caput Reipublicae Nigerianae — cuius Sedes princeps erit Ecclesia Abugensis, quam ad gradum et dignitatem archidioecesis metropolitanae evehimus, omnibus datis iuribus et officiis huiusmodi Sedium propriis, assignantes eidem ceteras, quas diximus, dioeceses uti suffraganeas.

Insuper Venerabilem Fratrem Ioannem Olorunfemi Onaiyekan, hactenus Episcopum Abugensem, Archiepiscopum Metropolitam Abugensem renuntiamus, cunctis factis iuribus impositisque pariter obligationibus.

Quae praescripsimus exsequenda curabit memoratus Venerabilis Frater Carolus Maria Viganò, onere imposito mittendi sincerum exemplar actus effectae executionis ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione.

Hanc denique Nostram Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis

quibuslibet rebus minime obstantibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die sexto et vicesimo mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo quarto, Pontificatus Nostri sexto decimo.*

ANGELUS card. SODANO <i>Secretarius Status</i>	IOSEPHUS card. TOMKO <i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>
---	---

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*  
Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*

---

\*A.A.S., vol. LXXXVI (1994), n. 7, pp. 557-558

© Copyright 1994 - Libreria Editrice Vaticana

---

© Copyright - Libreria Editrice Vaticana